DE

HAEMOPHILIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA
FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI
CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XV. M. MARTII A. MDCCCLVI.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
AUG. LUDOV. ALBERT JACOBY
MAGDEBURGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
H. OTTO, MED. DD.
E. PAETSCH, MED. CAND.

HALIS SAXONUM,
TYPIS PLOETZIANIS.

PROOEMIUM.

Quum absolutis studiis academicis superatisque examinibus restaret, ut ad summos in medicina et chirurgia honores rite adipiscendos dissertationem inauguralem exhiberem, velut jam antea multis, sic mihi quoque accidit, ut haesitarem in eligendo argumento; nam quamvis ipsa medicina disserendi causis redundet, tamen plurimae non solum jam saepius sunt peroratae, verum etiam a multis quasi contritae.

Itaque peropportune mihi valde expetenti contigit ut in clinico medico, quod hac urbe auspiciis V. Ill. Vogel floret, quodque jam crebrius mihi occasionem ad notabilia morborum genera cognoscenda praebuerat, nuperrime mirum quoddam exemplum proponeretur, in quo mutationes oculi tam praeclares et singulares reperirentur, ut historiam et descriptionem ejus fieri non omni utilitate carere putarem. Multo magis illa sententia erat confir-

mata, quum causas mutationum explorando ad opinionem firmissimam urgerer, illius me nostrae aetatis morbi, quae haemophilia nominatur, exemplum invenisse. Itaque collectis et praemissis, quae in litteris alias divulgatis de haemophilia inveniantur, ad eam certe perraram formam accuratius exponendam perveniam.

Denique lector benevolus, si forte fuerint, quae minus probentur, mihi velim indulgeat.

Nonnulla quae ad haemophiliae historiam pertinent.

Quamvis antiquo jam tempore Abulcasem de dispositione ad haemorrhagias letales scripserit, qua quidam homines e vita decesserint, itemque Benedictus Paduensis vulnus cutaneum letalem exitum habuisse commemoret, hae tamen traditiones nobis multitudinem animadversionum hoc saeculo de illo morbo factarum respicientibus tam rarae atque dubiae videntur, ut certos morbi nuntios e medio tantum superiore saeculo deducere possimus. Quae quidem prima de illa haemophilia sunt publicata, a principio hujus saeculi sunt scripta, inde studium illius morbi eo maxime auctum est, quod Schoenlein eum sub nomine homophiliae in pathologiae systema induxit, eique singularem in familia cyanosium locum attribuit, quo ex tempore jam haud exiguas de ea re litteras conscriptas habemus.

Quae quum ita sint, quaestio proponenda est, num ille morbus ab antiquioribus medicis fuerit praetermissus et alio cum corporis statu confusus, an non potius hoc eo sit explicandum, quod haemophilia recentioris sit originis, quae altera propositio eo videtur esse verisimilior, quod hic morbus interdum in infan-

tes incidit, quorum et parentes aut prorsus sani, aut, etsi aliis morbis aegrotantes, haemophilia tamen liberi, neque consanguinei unquam hoc morbo vexati fuerunt.

De morbi divulgatione geographica et propagatione.

Quamquam his in regionibus morbus crebrius apparet quam in illis, nullo tamen modo morbus endemicus dici potest; invenitur potius apud familias certas per generationes se propagans, rarius receptus videtur.

Quod ad nationes pertinet, dicendum est, morbum Germanis esse paene solis proprium, contra in regionibus, quas Slavi Romanique habitent, fere nunquam inesse. Saepissime morbum videmus in Germania, qua sunt quadraginta octo e centum haematicorum omnium adhuc desriptorum. Caussae diathesis diversae dicuntur, certae tamen probari non possunt. Morbi propagatio in familiis tam evidenter conspicitur, ut nonnullis in regionibus haematici uni tantum familiae vel duabus attineant. Hujus vero propagationis modus nonnullis varietatibus subjectus est. Quod antea de hac re prolatum est, filios tantum familiae haematicae illo morbo affici, non vero filias, hujus aetatis disquisitionibus haud penitus affirmatur. Nunc potius constat feminas minus quidem ad illum morbum inclinare, minime vero ab illo penitus liberatas esse. Interdum pueri etiam pauci a dyscrasia non afficiuntur. Propositio haematicorum ad haematicas continetur numeris quatuordecim et unum, in Germania quidem un-

decim et unum. In Helvetia usque ad hoc tempus nulla fuit haematica, feminae tamen ex haematica familia ortae diathesin propagant; interdum tantum menstruatione nimia, fortique haemorrhagia post partum afficiuntur dispositaeque videntur esse ad abortum et congestiones cerebri.

Si vero haematici viri mulieres familiarum sanarum in matrimonium ducunt, morbus extinctus videtur apud liberos eorum. In Helvetia per quatuor vel quinque generationes nullum exstat exemplum haemophiliae per viros propagatae; aliis vero in regionibus morbus a patribus etiam ad liberos traditur.

Symptomata.

Si multos haemophiliae casus, qui hucusque medicorum in diariis sunt descripti, consideramus, nonnumquam dubitatio suboritur, num morbi, qui illis describuntur, re vera haemophiliae sint tribuendi an non potius cum aliis sint commutati, quod certo elucescere in quibusdam occasionibus mihi non est dubium, diligentiori vero hujus morbi symptomatum studio corrigi.

Plerumque haematici non solum neonati, verum etiam paululum post partum praecipue in desecando funiculum umbilicalem haemorrhagiis afficiuntur, quarum copia atque permanentia maximum iis affertur periculum; qua ratione illae haemorrhagiae valde differunt ab aliorum, apud quosdam haematicos vero illa dispositio apparet recepta, vel posteriore aetate magis perspicua.

Quae haemorrhagiae e vulneribus acceptis oriri possunt, qua in re sanguis super superficiem expanditur, aut contusionibus atque pressibus, qua in re sanguis redit in interstitia diversarum telarum. Quae vero etiam sua sponte eveniunt et quidem tela mucosa maxime haemorrhagiis se praebet, imprimis nasi, oris, organorum urinam excernentium, tum quoque pulmonum, stomachi, intestinorum, organorum mulierum sexualium, rarius oculi. Interstitialiter etiam sua sponte se ostendere possunt in facie organisque sexualibus.

Harum haemorrhagiarum est, ut quo longius tempus permaneant, eo fiant profusiores, et serius quoque iterentur, quo tempore fit cicatrisatio, eoque afferant maximum vitae periculum. —

Interdum haemorrhagiae spontaneae sine ullis indiciis accidunt, saepius vero molimina quaedam fluxionis signa praecedunt, quae partim cordis palpitationibus pulsuque arteriarum accelerato et duro, calore cutis aucto, urina rara et pigmentosa, inquietate, sensibilitateque nimia significantur; saepissime vero illa indicia plethorae cephalicae sunt distribuenda, rubor et calor faciei, auris color ruberrimus, praecipue auriculae, arteriarum pulsus temporalium, visus auditusque hyperaesthesia, paviditas, animi temperationis exaltatio aut variatio insueta, somnus inquietus etc. Quae systematis vasorum incitati symptomata per majus aut minus temporis spatium hasce haemorrhagias prosequuntur usque ad imminentis signa anaemiae et deliriis levibus mistae.

Haemorrhagiae haematicis communes capillares sunt et ex minimis arteriarum canaliculis profluunt, ar-

teriarum majorum effusiones saepenumero ut in aliis hominibus finem habuerunt, et quondam ligatura superabantur, quum aliis in occasionibus ligatura membranam dissecaret. Plerique observatores contendunt sanguinem in haemorrhagiis et spontaneis et traumaticis effusionum instar parenchymatosarum, quasi e fungo quodam prolabi, neque accuratissima quoque disquisitione vas sanguinem effundens posse animadverti. Si quidem haemorrhagia neque naturae neque artis auxilio sedatur, id quod primum lipothymiis magnis efficitur: pro majore et minore effusionis duratione aut prius aut serius verae anaemiae signa accedunt; pulsus vacuus fit et frequens et mollis et parvus, in venis jugularibus susurri audiuntur etc; sanguinis loco demum serum aquae carneae simile effluit, pallor cereus corporis, praecipue linguae et auriculae videtur, et pulsus cordis arteriarumque vix tantum tentari potest.

Magni etiam momenti sunt haemorrhagiae interstitiales, quae quum petechias et vibices, tum ecchymomata magna formant et pressu ictuque, et sponte e signis plethorae praeteritis fieri possunt. Tumores spontanei spurias costas, dorsum, femur et genu praeoccupant, et modo quodam critico cachexiam priorem finiunt. Saepe plures per menses aut lapidum duritiem aut fluctuationem servant et pus liquidum et malum et coagula odore foetido continent, interdum fungi medullaris aut tumoris albi speciem praebent.

Saepissime apud haematicos signorum ordo invenitur, rheumaticis non dissimilium et iccirco jam pridem non solum ab hominibus indoctis, et haema-

ticis cognatis, sed etiam a medicis arthritidis nomine appellabantur. Hic symptomatum ordo omnes rheumarthriditis scalas continet a sola algia usque ad maximos articulorum tumores, et in quibusdam familiis nemini vere haematico aberat. Modo omnes articuli uno tempore continentur, modo hic aut ille, praecipue genu, modo morbus ab alio ad alium transit. Saepissime haec signa congestionis prodromos sequuntur et modo morbi impetum finiunt, modo haemorrhagiis spontaneis praecedunt, praecipue auctumnali et verno tempore tempestateque humida et frigida.

Dolores sunt percutientes, intermittentes et remittentes, tempore vespertino exacerbescentes, plus minusve articuli functiones impedientes, tali modo nonnumquam, ut eos plane deleant. Nonnullorum impetus aegrotorum ita dolorosi incautique accidunt, ut illis invalidis, ut paralysi affectis, lectus sit appetendus: quo facto dolores vehementes et percutientes circa latera et genua incipiunt, quae ad nonum fere diem durare solent; quibus diminutis partes affectae intumescunt coloremque lividum induunt.

Interdum in his affectionibus dolores tantum, saepius vero articulorum tumores existunt, qui curae majori esse debeant, quum agnoti facillime vitia therapeutica gignant, hirudinum praecipue cucurbitarumque applicatio, quae multis in occasionibus effusione sanguinis nimia summum periculum, mortem quoque effecerunt. Naturam inflammatoriam tumores illi saepissime non habere videntur, non raro autem incommoda sempiterna, deformitates, contracturas, paralyses, atrophiam afferunt; attamen naturam eorum

veram adhuc non novimus, modo rheumatici, modo arthritici sunt appellati, quorumque de similitudine ut de tempestatis mutatae vi non est dubitandum. Attamen tumores eos haematicae dyscrasiae singulares putare debemus, quum modo cum illis morbis non plane consentiant, modo in aliis quoque dyscrasiis, ut pyaemica et saturnina affectiones articulorum specificas videamus. Quibusdam temporibus diathesis illa evanuisse videtur, qua ratione curationes factae at non longum tempus permanentes declarandae sunt, quo tempore effusiones non majores vulnera sequuntur, quam in hominibus sanis.

Diathesin accrescentem, quod quibusdam observatoribus est visum, corporis evolutione aut temporis periodis fieri, non aeque constat, ac dispositionem effusionum propter sanguinis speciem hydraemicam futurarum ipsis prioribus haemorrhagiis oriri.

Haemorrhagia per horas aut dies aut hebdomades durare solet, et tum aut lente et sua sponte aut lipothymia finitur, aut non raro mortem parat anaemia acuta effectam. Deliria hallucinationesque denique convulsiones universae et vehementes observantur, interdum exitus letalis serius aut gangraena e vulnere orta aut exsudatione hydropica efficitur.

Si demum desinit haemorrhagia hoc morbo affectorum, plerumque mox revalescunt brevique tempore colorem validum et roseum induunt. Vulnus ipsum aut, ut normaliter fit, per primam vel secundam intentionem sanatur, aut inter sex aut octo dies crusta nigra obducitur, quae saepenumero tam dolorosa et subtilis est, ut convulsiones compressione incitentur.

Serius haec crusta rumpitur, quo facto cum sedatis reliquis symptomatis continua sanguinis effusio sequitur. Sanescentis vulneris circuitus iridis colorem induit, nec raro in loco effusionis transpiratio laxae et fungosae fibrini materiei, quin etiam ad pomi magnitudinem, quam cultre ad seriem decidere potes, observatur.

Habitum haematicorum plerique observatores consentiunt nullo modo in externa forma ab hominibus differre validis, quum eandem staturam eundemque vigorem ac ceteri homines praebeant. Progeniti gentium haemophilorum in universum robusti et validi vitam intrare videntur, nec ulla re initio germen ipsis inhaerens infausti illius morbi produnt. Cognoscuntur plerumque cute tenui, candida, miro rubre perlucescente, saepe cum venarum ramis clare visibilibus, turgescentibus, coeruleis aut roseis, qua re plerumque vultum validum offerunt maxime dissentientem a nigellis capillis oculisque. Capillorum color variatur inter flavum usque ad atrum, oculorum vero plerumque coeruleus, rarius etiam irides fuscae observantur. Dentes saepenumero colore eburneo, raro carie affecti, gingiva sine macula.

Temperamentum phlegmaticum praeponderat, quamquam alii scriptores sanguinicum aut cholericum invenerunt.

Multo certiores significationes de animi indole haematicorum sunt, quae saepissime praeclara nominatur, ingenium clarum et suscitatum, vis facile res obscuras intelligendi, lepor, denique multiplex ingenium imprimis artis musicae et mechanicae. Animus alio-

rum lenis et mollis, hilaris et benignus, aliorum sentimentalis et timidus describitur. Plerique haemophilorum vivaces et hilares, pauci tantum iracundi et vehementes sunt. Si qualitates haemophilorum inter se comparamus antea enumeratas, duae diversae haemophiliae formae nobis videntur esse distinguendae.

A. In forma erethica plerumque inveniuntur capilli nigri, colorque fuscus aut niger oculorum interdum effervescentium; cutis tenuis et alba cum venis perlucentibus, quondam vero cutis fusca et pigmento colorata, statura gracilis et robusta, corporis figura mediocris, musculatura bene constituta, maxima cum corporis vi praedita. Temperamentum propendet ad sanguinicum aut sanguinico-cholericum, nec non praecipua indoles, fortitudo memoriae, ingenium artis musicae, delineandi et mechanicae illis insunt; denique vivax imaginandi vis, benignitas, hilaritas, interdum dispositio iracundiae, congestionum et plethorae.

B. In forma torpida sive atonica observata sunt capilli flavi, oculi coerulei, cutis tenuis et candida, coeruleis venarum ramis perlucentibus distincta, musculi languidi, interdum habitus leucophlegmaticus, qualis iis occurrit, qui morbo scrophuloso affecti sunt, temperamentum phlegmaticum, infirmitas, diminuta indoles, pigritia et ignavia conjuncta cum summa benignitate, inclinatio ad vertiginem, lipothymiam et scrophulosim. Quamvis utraque forma raro tantum in natura tam praecisa expressa sit, saepe vero habitus magis ad hanc, magis ad illam formam propendet, quod interdum hoc modo fit, ut alii infantes iisdem parentibus nati magis

erethicam formam, alii torpidam praebeant, prout magis constitutionem patris vel matris habeant.

Haematicorum respiratio, digestio et assimilatio in universo non constantes neque ab hominibus ceteris differentes notiones praebent, certo systema vasorum valde irritabile esse videtur, pulsus, qui plerumque octoginta quinque aut nonaginta motus habet, facile acceleratur. Praeterea haematici cordis palpitationibus et congestionibus facile vexantur iisque currentibus spiritus aufertur. Nonnulli etiam queruntur algorem continuum ut in cyanosi; secretiones et excretiones naturalem habitum sequuntur. Designationes naturae sanguinis non plane inter se consentiunt, mox enim consueto colore rubro, mox nigro venosi instar, mox fusco aut livido, saepissime pallidiore, quam in homine valido describitur. Plerique observatores initio sanguinem nigellum, postremo ita pallidum seroque sanguinis similem fieri contendunt, ut linteam albam vix rubefaciat, pallidamque maculam cum margine non clare circumscripto relinquat. Cruor apud nunnullos haematicos aut non aut mollioris tantum consistentiae efficiebatur. Interdum foetor singularis quidam sanguinis describitur, ut puris putridi aut gangraenae nosocomialis aut sanguinis quarundam bestiarum.

Analyses haematici sanguinis et chemicae et microscopicae, quae usque ad hoc tempus sunt factae ad illustrandam haemophiliam non modo aptae sunt, quod partim ex difficultate omnino cum sanguinis analysi conjuncta deducendum est, partim quod sanguinis copia ad hunc finem necessaria, ex uno sanguinis vaso parata deest, quia in ejus modi casu omnium animi

multo magis periculo demovendo, quam scientiae studio incitantur, partim denique, quia illae disquisitiones a probato et laboribus chemicis peritissimo viro nondum factae sunt. In quibusdam cadaveribus haematicorum mirifica cordis dextri tenuitas aut minor membranarum resistentia in vasis magnis observatur, id quod effectum erat quum abnormi formatione congenita, tum degeneratione adiposa, in plerisque tamen sectionibus praeter anaemiam sanguinis effusione exortam nihil pathologice constitui potuit. Exspectandum est capillarum injectionibus subtilissimis in iis quoque status pathologicos in ventum iri, quod summo pondere in cognoscenda haemophiliae natura fore nemo negabit.

De urina haematicorum duae solum analyses existunt, una a Dr. Wild significat urinam colore vini subfusci pauco rubello, levi odore, clarissimam, plane pellucidam, sedimenta minima, pondere non constituenda et fortasse ab aqua fontana deducenda, qua lagena erat purificata, Temperaturam = X⁰ R. pondus specificum = MX, elementa anomala ut uvarum saccharum, Haematinum, albumen non existentia, aciditatem parvam.

Summm. elem. fix. = 31,208 p. m.
Summm. cin. = $10^1/_4$.
Urinogen. = $18^3/_4$.

Constitutionem.

Aqua	968,792
Urinogenium	18,750
Kali sulph.	2,141
Natr. sulph.	2,083
Natr. phosphor.	1,462
Calc. et Magn. phosph. .	1,920
Pigm. fusc., Kreatinin., Muc. et. elem. extract. .	0,815
Acid. uric.	0,403
	1000,000

Praeter hanc urinae haematici tredecim annorum analysin habemus, quam Schliemann in dissertatione profert a Raub Herbipolitano factam; neque omnis ratio deesse videtur amborum conferendorum. Urina haec erat pellucida, reactione acida, colore subfusco, odore consueto et pondere specifico MX.

M partes erant constitutae.

Aqua	973,881
Urinogen. . . .	5,215
Kal. sulph. . .	2,634
Calc. sulph. . .	0,0065
Natr. phosph. . .	0,108
Magnes. phosph.	1,071
Natr. chlor. . .	5,498
Ammon. chlor. .	1,577
Elem. extr. . .	7,929
Mucin.	0,677
Album. . . .	0,0007
Acid. uric. . .	0,0065
	1000,000

Quibus analysibus existentia ullius elementi pathologici in urina haematicorum praecluditur, ejusque aciditas, color subfuscus, pelluciditas, odor consuetus pondus specificum MC et diminutio urinogenii et acidi urici verisimile est.

Theoria morbi.

De theoria hujus morbi scriptorum animadversiones tam infirmiter sunt constitutae, ut non multum profitebimur verba de iis facientes, quum saepissime analogiae cum aliis morbis, natura aeque ignotis sint

propositae; omnes vero hasce theorias eadem vituperatio infirmae constitutionis perdit. Attamen non solum historicae utilitati est, sententias nosologicas de haemophilia cognoscere, sed etiam medico cuique caute sanctoque agenti, ut ratione constituta ducatur, necesse est, quandoquidem haematici lectum premat. — Experientes primam haemophiliae caussam deducere, pro sententiis regnantibus vel humoropathologicis, vel solidopathologicis mox constitutionem sanguinis, mox structuram systematis vasorum in discrimen vocaverunt, mox utrumque carere vitiis negarunt. Nostra aetate sententia est constituta, quae vitiosa innervatione morbum esse declarandum credit, et theoria proxima Virchowi illa est putanda, quae analogiam cum lienis cachexia demonstrat.

V. igitur sententiae praevalentes sunt statuendae.

I. Ex sententia humoro-pathologica prima causa est abnormis sanguinis constitutio, maxima vitiosa tenuitas et dissolutio, ex qua pro secunda causa diminuta vitalitas oritur, quae gignuntur

1) e difformitate congenita, statuque sanguinis in humiliore gradu, vel formatione inhibita.
2) e constitutione dyscratica sanguinis
   a) ex hereditate dyscrasiae arthriticae vel arthritico-rheumaticae,
   b) e Scrophulosi,
   c) e Scorbuto.

II. Ex sententia solido-pathologica causa est vis contractionis aut diminuta aut plane sublata, status quidam paralyticus vasorum capillarium, nisus in infirmitate congenita aut perfectione impedita, qua re

non sunt apta ad turgorem hujus vel illius partis superandum, diapedesimque sanguinis rupturamque membranarum evitandum.

III. Coagulatio sanguinis imperfecta, quae fibrini cellularumque sanguinis inopia efficitur et vitiosa vasorum capillarium constructio haemophiliae causa etiam putatur.

IV. Imperfectam systematis sanguinis innervationem vasorum capillarium congestionibus haemorrhagias efficere, quam ob rem animi motus deprimentes, sicuti terror, angor, timor effusiones hasce augeant.

V. Virchow probare studuit lienis morbum initium esse haemorrhagicae diathesis et in omnibus morbis ad haemorrhagias coaptantibus, ut in Scorbuto, morbo Werlhofii maculoso, exanthematum acutorum formis malignis et putridis, in morbis malaria effectis, typhosis, chlorosi et amenorrhoea lienopathias esse frequentes. Constat ex Virchowi opinione lienis physgonias, quod adhuc sit expertum, semper sanguinis cellularum rubrarum diminutione esse junctas, quarum in loco modo majorem cellularum sanguinis albarum formationem, modo nullum earum rubri sanguinis cellularum supplementum fieri. In his occasionibus semper diathesin plane haemorrhagicam demumque perfectam anaemiam effici videbat, quibus sub symptomatibus exitu letali orto, in sectionibus vasorum membranas nonnullis in corporis partibus, praesertim cerebri adipose degeneratas animadvertebat.

Prognosis.

Prognosin hujus morbi maxime dubiam et incertam esse, ex supra scriptis facillime intelligi potest, tamen saepius factum est, ut aegroti partim leviore diathesi, partim cautione subtiliore a periculis servarentur. Maximi momenti in ea re aetas est aegroti, nam quisque minime provectus aetatis facillime parvo ipso vulnere sanguinis effusione interibit; aeque temporis spatia acceleratae evolutionis maxime sunt cavenda, quia dentitio et pubertatis initium haematicorum fluxiones saepissime frequentiores et periculosiores reddit.

Praeterea ut in hieme et vere etiam prudentia praecipua adhibeatur, quia ejus temporis haemorrhagiae aestatis perniciosiores sint, nonnulli medici suadent. Morbis acutis intercurrentibus periculum est, ne aegroti haemorrhagiis symptomaticis pereant, eodem modo, quo corporis vitiis, quae arte removeri non possint, attamen plethoram quarundam corporis partium efficiant.

Curatio.

Quamquam spontanea diathesis curatio perrara est, tamen non desunt naturae studia quum variis secretionibus exaequandi dyscrasiam, tum vitam servandi immanibus effusionibus paene extinctam. Ita articulorum tumores, haemorrhagiae interdum sponte iteratae, exanthemata cutis capitisque madida saepissime cum diminutione congestionum sanguinis et bona quadam valetudine juncta videntur esse. Cavendum igitur est, ne illae haemorrhagiae spontaneae maturius velocius-

que sistantur, initio potius tantum curandum, ne sanguis profusius effluat modumque quendam excedat. Observatum est, medicamentis stypticis non in tempore adhibitis casus tam periculosos velut convulsiones, asphyxiam, impetus apoplecticos, palpitationes cordis tumultuarios esse adductos, ut cogerentur medici, ut non solum sanguinis coarctionem finirent, sed etiam ut scarificationes parvas facerent. Interdum diarrhoea fortuito orta, ut haemorrhagiae spontaneae desinerent, effectum est, neque articulorum tumores interdum impune curati sunt, sicuti arthritis et haemorrhois, quae haemophiliam saepius sequuntur, curationes naturae putari possunt. In sexu feminino menstruatio praematura et copiosa, quae facillime nimia fit, aeque ac lochiae cruentae et copiosae id agere videntur, ut plethoram quodam temporis spatio interjecto redeuntem sine periculo avolvant.

Tum quoque, quum haemorrhagiae periculosae fieri videntur, nullo modo medicatrix naturae tentatio deest, quae etiamsi eas trombosi vincere non possit, tamen idem lipothymiis gravibus efficere tentat, quibus sanguinis coagulatio adjuvatur. Quo elucet, quanti momenti lipothymiae hujus generis sint et quam perniciosum sit medicamentis excitantibus et recreantibus maturius eas decidere.

Si intelleximus igitur hunc morbum toties privata materia maxime ad vitam conservandam necessaria letalem exitum habere, aegrotisque semper summum periculum afferre, non solum ab his periculis ii defendendi, sed etiam contra ea corroborandi sunt.

Quod attinet ad primum indicium, curam pro-

phylacticam, quum saepe difficillimum sit, cutis scarificationes et venaesectiones quodam tempore peracto iterandas sedare, perniciosiores videntur, itaque medicamenta purgantia seu tonica et lavationes manuum pedumque derivantes magis sunt commendandae.

Quod ad caput morbi sanandum attinet, certum saepissime auxilium sola vitae evolutio progressa, senectus, affert. Si omnino prius prodesse possumus, optime fortasse correctione vitiosae sanguinis constitutionis aut confirmatione membranarum vasorum capillarium fieri potest, quibus in indiciis rationem medicandi nisi optimum nobis fecisse videmur.

Primo ea medicamenta memoranda sunt, quae aut recta via aut ambaginibus fibrini copiam sanguinis augere possunt, inter quae primum appellandum est plumbum aceticum. Ex experimentis Ill. Hunter et Mitscherlich plumbo acetico sanguinis coagulationem spontaneam maxime augeri novimus, quem effectum plumbi praecipue opio commixti jam patres non sine jure laudaverunt. Omnino sanguinis fluxiones sedat, coagulandi vim verisimillime auget, innervationem eandem augentem certe diminuit, denique vasa capillaria contrahere videtur. Praeterea Magnesia sulphurica et Natron sulphuricum sunt laudata, praecipue a quibusdam haematicorum gentibus.

Ad confirmandam vasorum capillarium resistentiam medicamentis adstringentibus praesertim usi sunt; ferrum quoque laudatur, quod quidem saepe effectu carens tamen attentione est dignum, si vero aegrotus ad congestiones propendit, cautio quaedam adhibenda est. Balnea etium frigida et salsa sunt commendata.

Nec non oleum jecoris aselli ad morbum radicitus curandum adhibetur, cujus effectus in haematicis debilioribus summa cum laude affertur. Transfusio quoque adhibita effectu continuo caruit.

Ipsorum impetuum curatio applicationem medicamentorum omnium commendat, quae medicina et chirurgia omnino in haemorrhagiis sanandis commendavit; praeterea salis Glauberi, haemostatici gentis haematicae Smith, et salis amari usus praecipue laudatur, quamvis et tamarindi, acidum sulphuricum, acidum tartaricum, elixirium acidum Halleri, serum lactis aluminatum bonum effectum habere videantur; denique secale cornutum, ipecacunha et digitalis comprobantur.

Historia morbi.

Guillelmus Staude, quinquagina quatuor annos natus, scriniarius, Halis ex patre Halensi, matre Offenbachensi est genitus. Pater ejus phthisi pulmonum consumtus est, mater de scala prolapsa, quum circa triginta horas sui non conscia peregisset, mortua est. Praeter eum etiam tres puellae ab iisdem parentibus fuerunt natae, quarum una in puerperio e vita decessit per morbum, nescio quem abrepta, duae alterae adhuc vivunt bonaque valetudine fruuntur. Liberi sororum omnes natura erant debiliore et mox post partum atrophia moriebantur, ipsius tres pueri, natura robustiore et validiore etiam omnes, quum annum quisque dimidium paene absolvisset, spasmoticis affectionibus est consumtus, puella octodecim annorum sola relicta semper bona valetudine est fruita.

Vir noster aegrotus, excepto uno icteri impetu, per tres tantum hebdomades eum obtinentis, nondum ullo morbo laboraverat, vulnera, quae ille occasionibus variis accepit, semper fortiores haemorrhagiae secutae erant, quamquam aut ejus consanguineos aut filiam unicam propria haemophilia affectos esse e certis argumentis signisque non apparet. Ille autem antea multum circumvagatus nec non in his itineribus potionibus spirituosis deditus fuit, imprimis anno

MDCCCXXVII usque ad annum MDCCCXXX, quo tempore Varsoviis ad quaestum sibi parandum moratus, inter laborem quotidie mensuram circa spiritus vini bibebat, quo tamen non efficeretur, ut ebrius fieret. Quum in itineribus, quae postea fecit, in quibus vero minus spiritus vini quam cerevisiae potu utebatur, Scandowiam venit, Albim trajecturus et portitoris adventum expectare coactus, et gravius commotus valde sudavit: aëris humidi frigore magnopere laesus est, quo efficeretur, ut doloribus, qui extrema ejus membra ita percuterent, ut quasi ab ineunte ad extremum eorum finem pervaderent, afficeretur, simulque per totam maxillam superiorem atque inferiorem dentium dolore magis magisque ingravescente vexaretur. Nihilominus iter suum continuans, quum Loewenbergum venisset, doloribus gravissimis est coactus ad consulendum Pohlum, doctorem medicinae, physicum illius circuli; quum medicamentum laxans, quod hic illi praescripsit, non efficeret, ut odontalgia cessaret, singulae hirudines medicinales singulis lateribus maxillae superioris et inferioris ejus sunt applicatae, quas quidem vir noster aegrotus hirudines equinas, quae nominantur, fuisse contendit, quia per totum corpus colore atro fuerint. Sanguinis effusionem spontaneam, quae hirudinibus demtis sequi solet, per se nullis aliis medicamentis adhibitis cessaturam esse physicus dixerat. Quod quum non fieret, sed sanguis per singulas horas magis magisque forte emanaret, neque imposito boleto igniario neque aceto spirituque vini adhibito ille sanguinis effusionem sistere posset, misit, qui medicum arcesseret, qui demum compressione fortiore cum medicamentis

causticis adhibitis haemorrhagiam cohibuit, sed praecavere non potuit, ne mala valde intumesceret; neque vero rubescebat is tumor, sed pallore quodam suffundebatur, dentium dolore nihil sedato. Paucis diebus post, quum mullo modo ille tumor rediisset, gingiva a medico est scarificata, quod quidem vehementes dolores ipsi summovisse aegrotus ille ajebat. Quo facto sanguis denuo profusius in dies magis magisque effluebat. Aegroto, quum conquereretur, quod sanguis non sisteretur, medicus mox sua sponte id facturum respondit. Itaque quum sanguis non cohiberetur, magna imbecillitas aegroti membra subiit. Tamen quatuordecimo fere die, postquam gingiva scarificata est, miser ille homo, quasi morbus esset sublatus, ex nosocomio est emissus. Inde Goldbergum profectus publico nosocomio rursus exceptus viginti fere hebdomades jam lecto affixus jacebat, quum sanguinis emanatio, quamquam permultis medicamentis stypticis adhibitis in dies adeo augebatur, ut postrema nocte pondus fere sanguinis ex vulneribus proflueret. Inter quam effusionem in corpore etiam multa ecchymomata observari poterant varia magnitudine usque ad palmae manus, quae forma plana et irregulari praecipue extremitates inferiores obducebant, et dolorum expertia multas hebdomades videbantur, demumque magis magisque facti pallidi evanescebant, eodem tempore etiam capitis dolores exstiti mox finierant. Quo demum factum est, ut illius quum omnia corporis membra, tum maxime oculi tam imbecilli fierent, ut quum expergefactus esset, horologii singulos numeros discernere plane non posset. Omni vi destitutus deinde conscientiam sui amisit. Tri-

bus hebdomadibus interjectis animum recepit, quanquam videndi acie orbatus; oculorum enim altero omnino nihil, altero non per longum temporis spatium res discernere poterat. Oculus dexter non erat aptus ad aliud exceptis tenebris et luce discernendum. Medicus, qui sanationem suscepit tinctura ad oculos madefaciendos data non solum debilitatem dextri non sanaverat, sed etiam auxerat. In dextrum oculum sacchari pulvis spira impositus, quia ab homine artis medicinae rudi neque fortasse secundum artis regulas erat factum, vehementissimis doloribus aegrotum afficiebat, ut illa operatione naturalem oculi partium situm esse mutatam putet. Aegrotus iterum atque iterum postulaverat, ut in hospitium oculis sanandis institutum portaretur igitur Watislaviam est missus in hospitium fratrum misericordum, cui illo tempore paefuit Dr. Hanke.

Unguentum album sinistro aegroti oculo infricatum est, quo acies paululum corroborata est. Tum ille operationi sinistri oculi se praebuit, dum de dextro sanando jam tum dubitabatur. Ictus vero acus, cujus motus aegrotus sentiebat, eum summo dolore affecit. Operatione facta multus humor ex oculo super genas septem fere dies effundi coepit. Tandem aegrotus sensit, oculum minorem factum lucemque plane evanuisse. Pluribus annis post operationem praeteritis saepe ei observabantur species igneae, ut pluvia ignea, lineae et rotae igneae, nocturno praesertim tempore, quae quidem species ante plures annos cessaverunt. Interdum in dextro oculo est sensus, tamquam ardoris et pressus, dolor capitis, potissimum in temporibus, quibus plerumque dolores pseudo-rheumatici dorsi, hu-

meri, laterum praecedunt, attamen dolores frontis et species igneae cum illis doloribus non sunt conjunctae, tum oculus aparet ruber sanguine effuso, interdum inferior tantum pars, dum superior solum pellucido humore aqueo plena est; quodam autem tempore peracto oculus a sanguine liberatus claram formam recepit.

Aegrotus homo hilari animo confirmat se priori tempore admodum irritabilem et vehementem fuisse. Saepe affectus est pulsu arteriarum in temporibus et fervore sanguinis; ubi iratus erat, color vultus plerumque ruber in pallidum mutabatur, intereaque oculorum vis periebat. Prioribus quidem temporibus multum indolis habuisse videtur, maxime vero delineandi, quare itineribus susceptis illa ars semper eum in victu quaerendo adjuvit.

Aegrotus est admodum robustis musculis, altus sed gracilis, crinis fuscus, color corporis subfuscus, gingiva pauco violacea. In pectoris et abdominis organis nihil est turbatum.

Mutata species oculi sinistri constat in mydriasi quadam, quum pupilla usque ad angustum marginem, circa lineae magnitudine quarta parte diminutae sit redacta; porro varie formatae et in motu saepe oscillantes, colorem variantes et griseae particulae observantur, quae exsudata corporis vitrei esse censeas.

Hoc phaenomena reducendum esse ad exsudationem statim elucet, et quidem e chorieidea factam compressione nervorum ciliarium mydriasin effecisse et conservare; retinam cernere non possumus.

In superiore bulbi parte staphylomata sclerae ob-

servantur, quae eundem cursum ac aequator bulbi tenent.

Dextri etiam oculi iris immobilis aliquantum ellipsi similis est, cujus diameter perpendicularis est; externus tantum iridis margo pigmento coeruleo obscuratur, interior vero pars paene pellucida flavum et lenti simile diminutae corpus sub pupilla observatori praebet, quod capite inclinato volvitur eoque modo mox major, mox minor videtur. Quod resorptione et exsudatione mutatam esse lentem eo verisimilius fit, quod et aegrotus jam per multos annos exstitisse illud punctum edicit. In interiore parte, ubi oculus plane pellucidus est, maculam rotundam et albam nec non paucas irregulares videmus, quarum causa sint exsudata an et nervus opticus non potest decerni, passim puncta quaedam rubra apparent, quae aut ex vasis, aut ex haematino ex sanguinis interdum ab oculo interiore profluentis mutationibus nascuntur. Ceterum uterque oculus satis mollis est, ac, si sensum quendam lucis, quem superior praecipue dextri oculi pars obtineat, omittis, plane caecus. Nunc dexter oculus ex nonnullis diebus haud magna sanguinis profluentis copia fuscatus est, cui illi dolores pseudorheumatici plures per dies antecesserunt. Quas ipsas mutationes oculi dextri etiam inflammatione effectas censeo, sed mixtas effectu diathesis nonnumquam, etiamsi exigue existentis. Verisimillimum est aegrotum e lipothymia expergefactum utriusque oculi cataractam habuisse, quae oculi sinistri secata, dextri aut haemorrhagiae aut exsudationis in cameram posteriorem factae ope reclinationem passa sit et nunc sedimentatione mutatam ca-

taractam natantem praebeat. Si hypothesim cataractae utriusque oculi diathesi effectae pro certa habemus, elucet oculum dextrum multo magis ea laboravisse, quum aegrotus eo plane paene esset coecus. Sinistri oculi paulatim est orta, quem omnino posteriore tempore minus affectum esse verisimile est. Quaerentibus nobis, quibus causis hac in occasione cataracta sit effecta, maxime illucet, eandem causam esse statuendam, quae omnino provectiore aetate ad hanc formationem pertineat, qua quidem aut magis aut minus lens crystallina fit obscurata. Quae causa est aut vitalitas diminuta aut vasorum obliteratio paucorum. Quibusdam in hominibus haec obscuratio maturius existit, quum etiam senes saepe claro visu fruantur. Fieri enim potest, ut lentis crystallinae systema per se ex celerius consumta vitalitate prius senescat, quam ceterae corporis partes, quod nostro in exemplo effusione sanguinis ex corporis parte oculis tam vicina, quam gingiva effectum esse nobis persuasum est. Lentis nutritus fortasse conjunctio quoque cum corpore ciliari diuturna sanguinis derivatione et summa materiei nutrientis imminutione ita est diminuta, ut ipsius obscuratae laesio, aut haemorrhagia posterior, eam omnino a conjunctione naturali separare posset. Utrum haemophilia nostro in exemplo diathesi alcoholica an refrigeratione aut orta aut aucta sit, nos decernere non possumus.

VITA.

Natus sum ego, *Augustus Ludovicus Albertus Jacoby* Magdeburgi D. XIX. M. Novembris a. h. s. XXIX patre *Carolo Augusto*, matre *Aemilia* e gente *Fritzsche*, quos adhuc bona valetudine viventes pio gratoque veneror animo, amplexusque sum fidem evangelicam.

In gymnasio cathedrali Magdeburgensi litterarum elementis imbutus et maturitatis testimonio instructus Halas paschali tempore a. h. s. LII. me contuli, ubi D. XXIII. M. Aprilis ab Ill. *Eiselen* t. t. Prorectore Magnifico in numerum civium academicorum receptus, nomen dedi apud Ill. *Krukenberg* decanum gratiosi medicorum ordinis. Tempore auctumnali Lipsias et post tria semestria in universitatem Herbipolitanam me contuli, in qua per annum versatus sum. Tum Halas me reducem Ill. *Leo*, Rector Magnificus recepit.

Per quadriennium hisce interfui scholis: Ill. *Schaller* de logice; Ill. *Weisse* de psychologia; Ill. *Kneschke* de encyclopaedia et methodologia medicinae; Beat. *Steinberg* de chemia anorganica; Ill. *Erdmann* de chemia organica; Ill. *Burmeister* de zoologia; Ill. de *Schlechtendal* de botanice; Ill. *Hankel* de physice; Beat. *Germar* de mineralogia; Ill. *Ed. Weber* de osteologia, de myologia, de neurologia; Ill. *E. H. Weber* de splanchnologia, de angiologia, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia et embryologia; Ill. *Funke* de physiologia, de embryologia, de histologia; Ill. *Carus* de anatomia comparata; Ill. *Clarus* de pathologia et therapia generali, de pharmacologia et arte formulas medicas concinnandi; Ill. *Guen-*

ther de chirurgia generali, de akiurgia; Beat. ***Moraweck*** de chirurgia speciali; Ill. ***Bamberger*** de pathologia speciali; Ill. ***Scanzoni*** de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis; Ill. ***Virchow*** de anatomia pathologica; Ill. ***a Textor sen.*** de instrumentis chirurgicis; Ill. ***Blasius*** de akiurgia; Ill. ***Krahmer*** Repetitorium pharmacologicum; Exp. ***Geigel*** de auscultatione et percussione; Exp. ***Dehler*** de arte fascias rite applicandi.

Praeterea Laboratorium chemicum Ill. ***Erdmann*** et physiologico-chemicum Ill. ***Lehmann*** frequentavi; demonstrationibus histologicis Ill. ***Funke*** et pathologico-anatomicis Ill. ***Virchow*** affui.

Scholis clinicis interfui, medicis Ill. ***Bamberger***, Ill. ***Krukenberg***; chirurgico-ophthalmiatricis Ill. ***Moraweck***, Ill. ***Blasius***; obstetriciis Ill. ***Scanzoni***, Ill. ***Hohl***; scholae psychiatricae Exp. ***Loewenhardt***.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis gratias habeo quam maximas, semperque habebo.

Jam vero tentamine philosophico quam medico, examineque rigoroso rite superatis spero, fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Gonorrhoea morbus non est syphiliticus.

II.

Haemophilia morbus est sui generis.

III.

Foetum vivum perforare licet.